

physicæ nullius videntur ponderis. Nihil enim concludunt pro DEO, sed gignunt conclusiones de individuo vago, non autem de uno signato. Semper enim hæc existit conclusio: Ergo est quoddam Ens primum, summum &c. Resp. Rationes istæ ita inferunt conclusiones particulares, ut illæ non possint nisi de DEO intelligi. Si enim est Summum bonum absolutè tale, illud aut est DEUS, aut aliquid infrà DEUM, aut aliquid supra DEUM. Si est aliquid infra DEUM, utique non est summum. Si est aliquid supra DEUM, non rectè vocatur DEUS, qui habet aliquid se prius. Relinquitur itaque, summum illud bonum esse DEUM.

§. 60. Sequuntur jam attributa DEI. Ubi vocabulum *Attributi* ab ambiguitate liberandum esse censemus. Sumitur igitur vox *Attributi* (1) *Latius*, prout idem est ac prædicatum in enunciatione, quod subjecto tribui sive ab eo prædicari potest, sive propriè sive tropicè aut figuratè, & ita opponitur subjecto, sive ei, cui tribuitur. Cum enim in enunciatione aliquid alicui tribui nihil aliud sit, quàm unum de altero prædicari, patet, attributum nihil aliud esse quàm prædicatum. Comprehendit ergo hæc attributi significatio omnia DEI prædicata tam synonymica, quàm paronymica.

§. 61. Attributum sumitur (2) *strictius*, pro conceptu rei secundariò sive pro eo, quod primum subjecti quidditativum conceptum consequitur, & intra ipsum subjectum terminatur. Sicut h. m. risibilitas est attributum hominis, quippe quæ in primo hominis conceptu non involvitur, ex eo tamen oritur. Et hæc ultima attributi acceptio est potissimum hujus loci, quatenus nempe est conceptus essentiâ divinâ posterior.

§. 62. Hæc attributa DEI nec ab essentia DEI nec inter se realiter differunt, quod probatur sequenti Syllogismo:

Si